Misc. 650 n. 35

NOVVM DIVINI IGNIS CENTRVM ECCLESIA,

SIVE DE

S. SPIRITVS ADVENTV.

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio.

AD SANCTISSIMVM D. N.

INNOCENTIVM XII.

PONT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A COMITE

PETRO FRANCISCO TARLO'

Semin. Rom. Conuict.

ROMÆ, Typis Dom. Ant. Herculis. 1692.

Superiorum permiſſu.

INNOCENTIO XII.
PONT. MAX.
PETRUS FRANCISCUS TARLO
Fœlicitatem.

BENEFICIVM ignis Divini non modo prætervolantis, ſed perſedentis in Terris; nec advenæ, ſed inquilini, in Deum authorem, & Apoſtolos invitatores refundimus, verſo in communem felicitatem Terrarum ſingulari paucorum privilegio. Commune pariter ceſſit in bonum BEATITVDINI TVAE indulta Vaticani Solij Maieſtas. Cum rara ſit gens, quam Tuæ liberalitatis; nulla, quam Tuarum Virtutum fulgor non irradiaverit. Illud tamen, & Sancto Spiritui in Apoſtolicum Collegium nuper illapſo acceptum referimus, & meritis Tuis, ac virtu-

tibus, quæ ut illaberetur, promeruerunt; Vtcumque enim in Vaticani vertice flamma Cęleſtis de tua æternitate ſecura refulgeat, habet hoc cum igne noſtra commune, quod magni intereſt, quo incidat; non ut diutius vivat, ſed ut latiùs luceat. Hinc cum Sacro igne gratulamur in præſentia, cui in hoc Pontificatu copioſum pabulum, ac Splendidiſſimum contigit Pontificis virtus, & Charitas: Permitte igitur, ut illùc volet oratio, quo Orationis evolavit argumentum, eumq; in ſinum confugiat, in quem Spiritus Divinus ſe immiſit. Cùm enim non tam publica beneficia, quibus Poloniam meam univerſam cumulaſti, quam privatæ etiam meæ rationes compellerent; Ad Beatitudinem Tuam ardor Divini ignis properabat, vt quietior eſſet in ſua Sphęra.

ORA-

ORATIO.

AUT vetus tollitur igni propenſio, cur Cœlum deſerat, aut recens additur terræ amabilitas, vt Cœlum vincat. B.P. Deviæ à patrijs Spheris divertunt flammæ, & transfuga à ſua Regione elementum Sedem ſibi quærit in Terris; Ità nè recepto ad ſuperos redivivo numine, cum Terra abripi debuiſſet in Cœlum, Cœlum ipſum depluit in Terras! Diuertère quidèm alias in Urbes Cœleſtes flammæ; non impunè tamen, ſed ut crimina vindicarent; nimirùm ignoſcimus igni, quod deſcenderit, ubi mortalium ſcelera volatili elemento adderent pondus, & Numinis vindicta degravaret; cum par eſſet, ut devijs à Deo hominibus deflecterent paritèr à centro ſuo elementa, nec ſtaret legibus ſuperum natura, ubi legibus conditoris non ſtarent homines. At modò, expiatis Divino cruore criminibus, conciliatis Deo mortalibus, quæ cauſa deorſum flammas impellit?

Sci-

Scilicèt Divinus amor in Populos devocat; nàm cum renovata terræ ſit facies, ac penè in Cœlum converſus ſit Orbis, ad nouum centrum iure ſuo diuinus ignis deproperat.

Mundum beaturus illapſu Divinus Spiritus ignem ſibi adoptavit in Typum, frangendo contumaciam elementi terrena faſtidientis. Ignis ſiquidem, Cœleſtis memor Originis ſemper à Terris in fuga eſt, ad Cœlum ſemper in via; eius vita deſiderium eſt Patriæ, eius voracitas impatientia eſt exilij, mauult quàm citiſſimè mori, quàm diù exulare. Idcircò tamen ſe Terrenum fatetur, quod terras fugit. Divinus ignis hinc maximè ſe prodit Cœleſtem, quod terras amat. Quis enim amores ſuos huc abijceret præter Deum, qui amando facit amabiles, & in amato nihil habet quod magis amet quam ſe amantem? Quid vltrà ſupererat Dei charitati, quàm cum intrà ſe diù ſe dilexerat, ſe etiam diligeret extrà ſe, & elevaret ad Deum quod infrà Deum eſſet. Hinc æſtus amoris in ſinu Triadis efferueſcens in mortales erupit, tamque pronum fuit igni deſcendere, quàm amori.

Diſpar quidem à cæteris elementis ingenium: illa eò tendunt, vbi quieſcant, nec alibi centrum eſt, niſi vbi quies; Ignis hìc eò feſtinat ubi agitetur; Centrum ſibi ſtatuit inter hoſtes. Scilicèt etiam Regio illa flammarum, ad quam Terreſtris ignis exul anhelat, aquis

quæ

quæ ſuper Cœlo ſunt ubique circumfunditur; ſervat fidem inimico elemento humor conterminus, & parcit ſecuris ignibus cuſtos liquor. Viget æternumque vigebit de ſua perpetuitate ſecurus in Eccleſiam illapſus Spiritus igneus: vtcumque glacies humanorum affectuum obrigeat, Inferorum rabies circumtonet, Tyrannorum furor deſæviat, in centro eſt; illum in ſua ſede quietum, tempeſtates eventilant non extinguunt, augent non minuunt. Hæc ignis ſecuritas eſt, agitari; Gaudetque Divinus amor ibi conſidere, vbi quieto liceat eſſe, otioſo non liceat, cuius quies labor eſt, & pax victoria.

Nec ullibi minùs otiantur ignes, quàm ſuper aſtra, tunc in centro eſſe diſcimus, cum beneficos experimur; Idem qui apud nos ſpargit exitia, è ſua ſede beneficia ſola diſpenſat; dat nocti faces, diei diem, Terris animam; Cœlo Sydera, vitam viventibus. Haud aliter Dei Spiritus olim aquas perambulabat, ſed velut otioſus; flabat, ſed eo flante areſcebant vt fœnum Populi, ut flores Urbes: Dilabebatur, ſed eo irruente erumpebant in minas Sacri Vates, in cædes hoſtium Duces, & Reges; ignis poterat videri, ſed non in centro. Tandèm cum creat Deus Cœlos novos, & Terram novam, Eccleſiam ſcilicèt, mundumque Apoſtolicum, cui conformando proluſit, dùm Mundum fabricaret Conditor rerum. In hanc

ve-

velut in ſuum centrum minax olim Spiritus ſe recepit, mitis, & beneficus: indè Terras fovet ardore, temperat flamine, mulcet aſpectu; Luminaria accendit virtutum, ac ſe, motorem Spiritum in omnes partes infundit. Hinc ſatis conſtat ignes è novo hoc Cœlo beneficos in centro eſſe.

At quandò Divini amoris centrum ſunt homines, par eſt, ut humani amoris centrum ſit Deus.

F I N I S.